

V. An Account of a Book.

Hippocratis Aphorismi, cum Commentariolo. Auctore Martino Lister, e Medicis Serenissimæ Majestatis Reginæ Annæ. Londini Typis W. B. Impensis A. & J. Churchill, ad Insigne Nigri Cygni, in vico vulgo dicto Paternoster-row. 1703.

Hujus Commentarioli rationem reddere idem esset, ac si quis singula in singulos Aphorismos ab Authore dicta, transcriberet; qui fere totidem præcepta sunt de corporis œconomia, tam sanitatis, quam valetudinis adversæ statu; illudque adeo tanquam super vacaneum omitendum creditit. Quæ verò ad hunc superioremque ejus tractatum in *Sanctorium de medicina statica* peculiariter spestant, nempe humorum concoctiones, paucis ponenda esse videntur.

Humorum itaque secretio sive percolatio è sanguine, cui nulli omnino naturaliter insunt, ei esse videtur longè maximus error, causaque præcipua, cur frustra adhuc exhibitæ fuerunt tot hypotheses, ad explicandam naturam humanam: hinc, inquit, tot & tantæ hallucinationes ortæ sunt; nimirum sanguinis fermentatio, ejusque ab humoribus depuratio, succus nescio quis nutritius, (qui alias liquidum nervorum, spiritusve animales dicitur copia incredibili per insensibilem transpirationem jugiter amittendus, & similia. In hujus autem rei gratiam nervi, reclamante anatomia pertui sunt, perinde ut de universis fibrillis partes corporis organicas constitutibus fabulantur, nem, pe eos concavos esse, more tubolorum; etiam si illi ope conspicillorum vel exquisitissimorum nondum alii detecta sunt

C c c c c c c

quam

quam solida quædam filamenta ; imo neque hactenus *morborum beneficio* aliter visa sunt ; qui tamen alia omnia vasorum genera aliquando varicibus amplificare solent, ut vel nudis oculis tandem conspicua sint. *Canes* nobis (ut id hic obiter notem) non tantum jugulandi, sed omni morborum genere de industria afficiendi sunt : ita et medicamentorum vires, & partium quarumcunque fabrica, ususque citè & clarè elucebunt : quam certè methodum junioribus nostris, & athletica valetudine gaudentibus, vehementer commendo, à quâ mirabiles progressus in re medica auguror.

Cum itaque *secretio humorum* quorumcunque ē sanguine, integra valetudine firmaque existente, mera fictio sit, ipse Author non sine optima ratione, ut arbitratur, ejus loco, humorum concoctiones in viseribus glandulisque ubique substituit, ex una scilicet atque eadem pura puta sanguinis massa ; siquidem viscera quæque majora, visceralaque quas glandulas vocant, non mera itinera sunt ad humores transmittendos, eosque in se recipiendos, deponendosque ; sed ipse quoque officinæ sunt, ubi quilibet humores conficiuntur, suumque characterem ultimum atque discretivum induunt : & quemadmodum chylus in ventriculo liquatur, id est, extra atque ante ejus ingressum in sanguinem ; ita singuli quique corporis humores fabricantur extra citraque sanguinis circulum ; non excepta insensibilis perspirationis materia, etiamsi omnium humorum longè copiosissima sit : quod minus mirandum, cum ultima & consummatissima sit omnium & singularum totius corporis officinarum concoctionis atque dispensum ; non secus, atque flatus in intestinis ex unius fere chyli concoctione.

At nervos concavos esse, necesse est ; nam omnino (ut nuper *Quidam*) ita vult mechanica Philosophiæ ratio, id quidem petere *principium* est, audacter nimis, præterque summam virtutem modestiamque disciplinæ mathematicæ, quæ nihil unquam postulare consuevit, nisi facilissimum datu, &

& ex sua natura perspicuum. At quorsum hæc tua festinatio? nemini certe pudori est, fateri non posse ulterius progredi in hac vel illa functionis corporis exponenda: interim Anatomiam colas velim; sat cito calculi adhibentur, cum rerum naturæ Historia uberior sit, & per se explicatior.

Fatetur Au hor jam diu esse, cum non pauca ad humorum concoctiones spectantia exarasset, eaque edere cogitasset sed rem distulit, quod speravit, a summa hujus temporis industria, glandulas plerasque non potuisse diu latere, sed eas singulas jam jam describendas, transitusq; sanguinis in eas rationem clare exhibendam fore; cum ipsa res expertissima sit.

Pieri autem similitudo, quâ ventriculus intestinaq; cum lacteorum vasorum appendicibus, glandulæ comparantur, elegans quidem & multi ingenij imaginatio est; sed *Bellino* imposuisse videtur, cum inde affirmaverit, glandulas tantum vasorum ab arteriis exeuntium longitudine, numero, crassitieq; inter se discrepare. Illud tamen verissimum, (quantum video) Glandularum fabricam pene unice in Anatomia, certe maxime & vehementer, desiderari: sed fabrica cujusq; partis demonstranda, non cæca aliqua conjectura fingenda est.

Missa itaq; in præsentiarum peculiari humorum doctrina, quam meditor, quatenus scilicet ex concoctionibus sanguini extraneis deducendi sunt, unum interim alterumq; considerandum offert *Auctor*: nimirum *primum*, an absurdum sit cogitare, cum ex immensa varietate cibi potusq; unus chylus intra ventriculum perpetuò conficiatur, idemq; laetis venis propter summum suum candorem, dulcedinem, puritatemq; mirifice conspicuus, ad eundem modum ex uno eodemq; sanguine, minime difformi, sed sibi per omnia sua vasa simili, multiplicem humorum varietatem posse concoqui, certe visceribus glandulisq; plurimum inter se discrepantibus, quas totidem ventriculos concoctionum respectu esse diximus. A!

Alterum illud, quemadmodum *universæ corporis partes*
five membra ejus *simil* extant, nec unum aliud superius
ducitur: (fœlix seculi præteriti inventio;) ita illa in
omniū vasa non vacua genita fuisse, sed lingua sui hu-
moribus connatis repleta; ut scilicet in propria sit quad-
dam condimentum, ad sanguinem & continuo impulsum,
cùm vita & nutritio incœpientia sit, in variis proprietas
humorē digerendum.

Hæc autem pauca sufficient, ad aliquam certe pleniorem
intelligentiam ejus, quod tñies in du bus commentarijs
de humorum concoctione passim expositum fuit.